



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An actus pertinentes ad jurisdictionem spiritaulem seu Ecclesiasticam  
fori interni, vel externi sint materia Simonizæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. I.

*An actus pertinentes ad jurisdictionem spiritualem seu ecclesiasticam fori interni, vel externi sint materia Simonie.*

**R** Affirmative, & primò quidem Simonia est juris divini & naturalis, dare vel accipere pretium, vel aliquid temporale, pro actu quolibet fori interni conscientie, seu pertinentis ad curam animarum, pro absolutione v. g. impetrenda confessis, pro audiendis confessionibus &c. prout sumitur ex *c. Nemo 14. §. Nec quemquam b. 1.* five deinde ex delegata potestate talis tantum egerit, five ex ordinaria, five pro delegatione talis potestatis fuerit pretium, aut temporale quid exactum, five pro ipsa absolutione, five fuerit exactum tale quid pro absolutione à peccatis, five pro absolutione à censuris, *c. ad aures 24. b. 1.* five pro concedendis indulgentiis, pro dispensationibus in præceptis ecclesie &c. exigatur aliquid temporale, ut pretium.

Secundò Simonia est juris divini & naturalis, jurisdictionem ecclesiasticam fori externi, five delegata illa sit, five ordinaria, pro pretio temporali emere, aut vendere, uti colligitur ex *c. Consulere 38. b. 1.* & ratione probatur, quòd tali casu spirituale aliquid, five supernaturale ratione finis, ad quem ordinatur, vedatur vel ematur! Imò Simonia est, pro quolibet actu jurisdictionis ecclesiasticæ voluntarie pretium accipere, pro dispensatione v. g. in voto, juramento, impedimento matrimonij &c. quia etiam hæc potestas dispensandi, spiritualis est; & hinc quod nonnunquam juxta stylum

Curie Romanæ pro his dispensationibus, præsertim circa impedimenta matrimonij, exigitur, exigitur non in pretium dispensationis, sed per modum mulctæ v. g. per quam competeret accessus à lege communi, ad præmissam applicandæ, aut in vim sustentationis, & onerum ferendorum &c.

Tertiò Simonia est, si pro actu jurisdictionis contentiosæ ecclesiasticæ, pretium detur vel accipitur, ut patet ex *can. Vendentes 10. Can. 1. §. 3.* nisi præcisè detur tale aliquid ad redimendam injustam vexam, cum in tali casu non tam detur, pro actu spirituali, quàm pro tollenda injusta vexatione.

Quartò denique Simonia est jurisd. divini, exigere aliquid temporale pro actibus jurisdictionis ecclesiasticæ, quia illis, etiam si hi versentur circa materiam mere temporalem, & politicam, super his v. g. inter Clericos mota, cum etiam hi actus ab ecclesiastica, & spirituali potestate procedant.

## §. II.

*An sit simonia, pretium vel aliquid temporale dare, vel accipere pro impensione actus jurisdictionis ecclesiasticæ, vel alterius actus spiritualis?*

**D** Are alicui temporale aliquid, ut abstineat ab actu spirituali, quæ injustè, sacrilegè vel simoniacè potestus esset, non est simonia, cum talis pretio non inducat alterum ad aliquid spirituale agendum, sed tantum ad aliquid quam injustitiam v. g. omittendum; & hinc non est simoniacum, dare Ellecto-